



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XXIII. De Scientiâ Dei libera.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO XXIII

## De Scientia Dei liberâ.

**N**ONNULLA, quæ ad Scientiam Dei liberam pertinent, in superioribus occasione datâ, discussa sunt; cum enim summam cum difficultatibus quibusdam ad scientiam necessariam spectantibus haberent connexionem, omitti eo loco non poterant, ne mancus maneret ac mutilus de scientiâ necessariâ tractatus. Sic occasione Scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ necessaria, tum respectu possibilium est, tum impossibilium, quadam de Scientiâ visionis adjuncti, ut ex eâ, quam inter se habent, oppositione, contrarioque tendendi modo, utriusque natura ac proprietates clarius innotescerent. Nunc reliqua sunt discutienda.

### SECTIO PRIMA.

An Deus cognoscat futura contingentia absoluta; & utrum id fiat ob determinatam eorum veritatem.

I. Certum est, Deum hæc futura cognoscere.

**P**RIMA quæstionis pars, non probanda, sed supponenda potius videtur contra Aristotelem, Ciceronem, & paucos alios, qui, cum hanc Dei scientiam cum nostrâ in agendo indifferentiâ conciliare non possent, eam negarunt, & Deum spoliare Scientiâ maluerunt, quam homines libertate.

II. Variis Scripturæ locis ostenditur, Deum cognoscere res absolute futuras.

Quamvis autem hoc, ut dixi, ob summam ejus certitudinem, supponendum potius sit, quam probandum; ut tamen veritas magis elucescat, probatur primò ex variis Scripturæ locis, quibus res hæc apertissimè nobis traditur: sic Eccles. 23. v. 29. dicitur, Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita. Item Isaia 41. v. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos. Sic Deuteron. 31. v. 21. de populo Israëlítico dicit Deus: Scio cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie. Deinde Psalmo 138. de Deo canit Propheta; Omnes vias meas previdisti: in quem locum sanctus Augustinus, Non dixit, inquit, vidisti, sed previdisti.

III. Deo futurorum cognitionem Patres aperitè tribuunt.

In hac ipsâ veritate tradendâ multi sunt Sancti Patres: sic S. Gregorius Nyssenus in Oratione de Infantibus præmaturâ morte abreptis, Id, inquit, quod futurum est, æquè ac præteritum cognovit Deus. S. item Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum, cap. 7. Deo, inquit, quæ sunt futura, præsentia sunt, & cui præcognita sunt omnia, ventura profaciunt. Tandem, ut alios omitam, S. Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 9. expressè affirmat, Deo negare præscientiam futurorum, apertissimam esse insaniam. Idem uno ore docent Patres reliqui, & hac in re ita conspirant, ut qui unum citat, citet omnes.

IV. Deum novit existentia, ergo & futura.

Hoc ipsum ratione clarè ostenditur: Deus enim, ut indubitatum est apud omnes, novit præsentia, seu res omnes actu existentes, alioqui de iis dispo-

nere non posset, sed manca circa illas & mutila esset ejus providentia: ergo & cognoscere potest futura; nulla enim est ratio, cur non æquè hæc eadem ab æterno viderit exitura, ac modò videt in tempore existentia, cum Dei perfectio non magis unum postulet, quàm aliud. Deinde, certissimum est creaturas existentes nihil physicè operari in Deo, speciem scilicet sui in eo producendo; Deus siquidem, ut supra vidimus, est per se clarissima species, rerum omnium perfectissimè representativa: cum itaque non influendo, sed solum terminando respectu Divinæ Scientiæ se habeant existentia, non est cur idem præstare nequeant futura.

Confirmatur: res enim possibles nihil sunt actu, & tamen à Deo cognoscuntur, vel in seipsis, ut cum probabiliori sententiâ vidimus Disp. præcedente, sect. quintâ, vel saltem in increatâ Essentiâ, non ibi sistendo, sed ulterius verè terminatur Dei cognitio ad creaturas possibles, ergo res futuræ, licet actu nihil sint, poterunt nihilominus à Deo cognosci. Confirmatur secundò: nam, ut bene P. Arriaga hîc Disp. 20. sect. 1. num. 8. nos sæpe apprehendimus futura, ergo si daretur in nobis perfectâ illorum species, cognosci etiam possent judicativè, & perfectè; sed Deus, ut diximus, est perfectissima rerum omnium species; ergo perfectissimè poterit futura cognoscere.

Quoad secundum in titulo contentum, an scilicet Deus hæc futura contingentia cognoscat ob determinatam quam in se habent veritatem, latè hæc difficultatem discussi Disp. 46. Logicæ, ubi utriusque opinionis fundamentis propositis, cum longè communiore & veriore sententia partem affirmantem sum secutus: quam proinde quæstionem, cum illic fusè sit disputata, nil opus est hic denuo discutere. Ad alia itaque ad futura spectantia pergemus.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Deus cognoscat futura libera in causa eorum creatâ completâ. Vbi etiam de certitudine morali.

I. In qua modo futuro sciuntur maxima est diffusio.

OSTENDIMUS, Deum per scientiam visionis cognoscere futura contingencia; restat adhuc gravis & multiplex difficultas, in quo hæc medio cognoscat: qua in re, maxima est inter Auctores dissensio: qui, quamvis in eo omnes conveniant, Deum scilicet isthac scire, de modo tamen & medio discrepant.

II. Prima sententia est, cognosci in causis creatis completis.

Prima itaque quorundam sententia est, Deum futura contingencia cognoscere in causis eorum creatis completis. Hæc communis est Thomistarum opinio, passim asserentium, actus liberos cerni posse in causâ proximè ad agendum expeditâ, quæ, inquit, ita istiusmodi effectum continet, talemque cum eo habet connexionem, ut quisquis eam perfectè penetrat, effectum in eâ clarè possit perspicere.

III. Secunda sententia negat posse futura contingencia in causâ nullâ creatâ, quantumvis completâ, cognosci: ita Suarez Opusc. de futuris contingentiis, lib. 1. cap. 3. Erice 1. p. d. 6. cap. 21. Arrubal hic, d. 42. Alarcon 1. p. d. 2. 1. p. d. 2. cap. 7. Tannerus 1. p. Disp. 2. q. 8. dub. 5. n. 8. Arriaga Disp. 20. sect. 3. estque communis nostrorum opinio.

Secunda tamen, & vera sententia negat posse futura contingencia in causâ ullâ creatâ, quantumvis completâ, cognosci: ita Suarez Opusc. de futuris contingentiis, lib. 1. cap. 3. Erice 1. p. d. 6. cap. 21. Arrubal hic, d. 42. Alarcon 1. p. d. 2. 1. p. d. 2. cap. 7. Tannerus 1. p. Disp. 2. q. 8. dub. 5. n. 8. Arriaga Disp. 20. sect. 3. estque communis nostrorum opinio.

IV. Ratio est, quia in causâ liberâ nihil est magis determinatum ad effectum, quam ad negationem effectus.

Ratio est: causa enim secunda libera, voluntas exempli gratiâ, etiam proximè ad operandum disposita, non magis determinatur antecedenter ad unam partem contradictionis, quam ad alteram, ad operationem verbi causâ, quam non operationem: in qua proinde non magis relictus actus, quam negatio actus. Quisquis ergo causam intuetur, nec in illius entitate, nec in alio quocunque principio, per quod in actu primò completur ad agendum; videre potest operationem, cum etiam quibuscumque adjunctis, causa manere debeat libera, & cum toto illo apparatu indifferens ad actum, & actus negationem; nec aliud certò videt, nisi illam posse agere & non agere.

V. Negat S. Thomas effectum liberum cognosci posse in causâ completâ.

Hoc totidem penè verbis docet S. Thomas hic, q. 14. a. 13. corp. Contingens, inquit, ut est in sua causâ, nondum est determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde, quicumque cognoscit effectum contingentem in causâ suâ tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem, &c. Hæc ille: nec video quibus verbis clariùs hanc nostram sententiam tradere Sanctus Doctor potuisset.

VI. Dicitur quædam S. Thomæ circa cognitionem futurorum contingentium in causâ declaratur.

Quando verò S. Thomas lib. i. cont. Gen. c. 67. num. 3. ait, sicut ex causâ necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita etiam ex causâ contingentia completâ, si non impediatur, Respondeo primò loqui eum de contingentibus non propriè & strictè liberis, sed de iis quæ casu accidunt, seu de fortuitis. Secundò dici potest, loqui S. Doctorem de effectibus procedentibus à causa nullo modo impeditâ: non potest autem cognoscere causam nullo modo impeditâ, nisi videat effectum actu ab ea procedere, sicque est cognitio ipsius effectus jam exercitii, seu notitia consequens; posito autem quòd effectus procedat, potest certitudinaliter scire cum procedere. Tertio & præcipuè, dici potest, S. Thomam loqui de iis solum effectibus, qui ideo

contingentes sunt, quia possunt ab extrinseco impediri, alioqui certissimè futuri quia naturales seu necessarii. Si ergo Deus videat causam ex se paratam, & nullum esse impedimentum ab intrinseco, novit certitudinaliter secuturum hic & nunc effectum: Quibus modis explicat S. Thomam Ferrarum in illum locum; tenentque hanc sententiam Capreolus, & alii ex antiquioribus Thomistis.

Maneat ergo, Deum non posse certò cognoscere effectus liberos futuros in causâ eorum creatâ completâ; nec enim cognitio alicuius rei per causam seu in causâ, esse potest certior quàm sit connectio cause cum effectu; cum ergo hæc sit fallibilis in omni causâ liberâ, quippe quæ ita potens est ponere effectum, ut etiam sit potens ponere illius negationem, fallibilis tantum & conjecturalis esse potest in illâ cognitio effectus.

Unde quantumcunque sit antecedenter inclinâtâ voluntas, & moralem etiam fortè connexionem habeat cum effectu, adhuc tamen non potest causare metaphysicam certitudinem effectus, quicquid dicat Granado hic, disp. 4. sect. 4. n. 19. Bellarminus l. 4. de Gratia, c. 15. Becanus, & alii nonnulli; sed Deus solum novit evidenter esse talem moralem connexionem causæ cum effectu. Hoc tamen non est medium sufficiens ad certò cognoscendum, effectum secuturum: aliud enim est certissimè cognoscere causam esse antecedenter inclinâtâ ad producendum illum effectum, ita ut moraliter sit illum productura; aliud, certissimè cognoscere, effectum reipsâ secuturum: licet enim moraliter certum sit, ita futurum, non tamen metaphysicè; unde exponeret se periculo erroris & mentendi, quisquis merè ex hac cognitione iudicaret firmiter, ac diceret, rem absolutè futuram; quo nomine, hoc iudicium Deo repugnat. Adde nec hoc medium esse universale, cum ad multos effectus liberos non hoc modo inclinetur voluntas, nec moralem cum iis habeat connexionem: de iis ergo saltem inquirendum, in quo medio cognoscantur.

VII. Cognitio effectus in causâ non est certior quàm connectio causæ cum effectu.

VIII. Morali connectio cum causâ non creat certitudinem metaphysicam.

Inclinatio antecedens voluntatis non sufficit ad certò cognoscendum effectum.

SECTIO TERTIA.

An cognoscantur futura contingencia ut præsentia Deo ab æterno in æternitate.

Hoc ergo responso, ut minus solido, relicto; alio modo dicunt Thomistæ cognosci futura contingencia à Deo, nempe ut præsentia æternitati, seu in æternitate. Unde aiunt, licet res variæ non existant nunc secundum propriam durationem intrinsecam, seu in hoc nunc durationis propriæ, at verò, inquit, res omnes necessariò existunt in hoc nunc æternitati: cum enim æternitas Dei nullas habeat partes, utpote indivisibilis, & tota simul, quicquid in illâ semel existit, existit in totâ, & consequenter semper sunt in æternitate res, si unquam sunt in illâ: unde, inquit, Antichristus, licet sit futurus, & peccaturus, secundum suam durationem, semper tamen fuit & paccavit in æternitate. Addunt ulceriùs, res omnes, etiam successivas, seu essentialiter sibi succedentes, ut tempus, & durationes, in æternitate esse simul, & consequenter à Deo in suâ æternitate cognosci, cui proinde nihil est futurum, aut præteritum, sed omnia semper præsentia.

Si quis ergo ab iis quarat, utrum hæc propositio sit vera, Dies crastinus, seu, dies iudicii nunc est: distinguunt: si enim particula est denotet durationem propriam dici crastini, falsa, inquit, est propositio;

I. Opinio asserens, res omnes cognosci à Deo ut præsentia in æternitate.

II. Declaratur uberior sententia asserens, futura esse Deo præsentia in æternitate.

propositio; vera tamen si denotet durationem æternitatis Dei. Unde tandem aiunt, res omnes semper coexistere æternitati, seu esse æternitati præsentem, & hoc modo à Deo cognosci. Primus hunc philosophandi modum absolute tradidit Cajetanus, ut ipse testatur, quem ait mundo antea notum non fuisse; imò se quoque eum per quindecim annos ignorasse affirmat, & tribus tantum diebus antequam commentarium in hunc articulum scriberet, novâ subito obortâ luce, sibi primò in mentem venisse affirmat: cum tamen, licet non tam fidenter, multis ante Cajetanum annis, hanc ipsam doctrinam tradidisset Capreolus. Neque hoc latuit Cajetanum, ut ostendit Erice hic, d. 6. c. 4. num. 54. Cajetanum sequuntur recentiores Thomistæ, quibus adjungit se P. Granada hic, d. 3. & 4. Citatur etiam à nonnullis Molina, sed immerito.

Quis hunc philosophandi modum primus excogitaverit.

## III.

Res non alio modo, quam objectivè, sunt Deo in æternitate præsentem.

Dicendum tamen cum aliis omnibus, res in nullâ reali existentia, sed ad summum objectivè, esse Deo præsentem ab æterno, sed eâ solùm de causâ dicuntur præsentem æternitati, quia à Deo ab æterno clarè cognoscuntur in suâ differentiâ temporis existentiæ, vel quòd quando in suo quæque tempore existunt, totam Dei æternitatem sibi habeant præsentem; ita omnes fere Auctores nostri, Suarez in Opusculo de Scientia Dei, cap. 7. Valquez d. 54. cap. 3. Valentia hic, punct. 5. Arrubal disp. 47. Tannerus 1. part. disp. 2. quæst. 8. dub. 6. num. 11. Arriaga hic, disp. 20. sect. 3. Erice disp. 6. citatâ, c. 4. citans Halensem, S. Bonavent. Scotum, Durandum, Gabrielem, & alios.

## IV.

Max. S. Thomæ circa præsentiam rerum in æternitate.

Ibidem etiam ostendit Erice, esse hoc ad mentem sancti Thomæ, cum antiquissimi quique Thomistæ, ut Ægidius Romanus D. Thomæ auditor, Hervæus, Vega, Sylvester, & alii passim hoc modo S. Thomam explicent, ut propterea solùm velit Deum cognoscere res ut præsentem suæ æternitati, non quòd ab æterno eidem præsentem sint, sed quòd æternaliter, seu ab æterno feratur Dei cognitio in omnes rerum præsentialitates, quæ suo tempore existent, & coexistent æternitati Dei. Dicunt itaque, solùm velle S. Thomam, res omnes esse præsentem Deo, ut eas intuenti, seu objectivè: quo modo, inquit, omnia sunt Deo præsentia, non solùm quoad quidditativas earum rationes, seu essentias, sed etiam quoad actuales existentias. Hoc expressè docuit S. Thomas hac quæst. 14. a. 3. Idem alibi sæpè affirmat, dicens, creaturas non esse omnino ab æterno, nisi in Deo, cognosci tamen à Deo ab æterno res omnes in propriis naturis, & alia hujusmodi.

## V.

Impugnatur modus loquendi, quo creaturæ dicuntur Deo ab æterno coexistere.

Ratio demum videtur clara: si enim per existere creaturas ab æterno, & Deo coexistere, intelligatur solùm eas, quando creantur, existere in totâ indivisibili æternitate Dei, hoc nullus negat: sed est impropriissima loquutio; cum existere res ab æterno, secundum communem omnium conceptum, aliud significet, nullum scilicet fuisse instans temporis imaginarij, aut quod res illæ non fuerint. Deinde, nisi hoc asseratur, dici nequeunt Deo coexistere ab æterno, cum coexistentia dicat duorum existentiam, simul pro eâ duratione pro qua affirmantur coexistere, exercitam.

## VI.

Non est idem creaturas coexistere æternitati Dei, & eas esse ab æterno.

Si autem per creaturas existere ab æterno, intelligatur, verè eas habuisse existentiam aliquam realem extra Deum ab æterno, ratione cujus dicantur Deo ab æterno coexistere, hoc non solùm falsum est, sed contra fidem. Non est ergo idem coexistere æternitati Dei, & coexistere Deo ab æterno: hoc quoniam, præter conjunctionem crea-

turæ in existentia cum æternitate Dei, quod fit quandocumque res aliqua existit in suâ differentiâ temporis (tota quippe Dei æternitas existit singulismomentis) dicit, inquam, ulterius, realem creaturæ existentiam, ac Dei æternitatem fuisse ante omne tempus, vel verum, vel imaginarium conjunctionis, quod tamen, ut dixi, salvâ fide asserere nemo potest.

Respondent, non existisse res ab æterno per durationem propriam, sed per hanc durationem extrinsecam æternitatis Dei. Sed contra, nam sicut non potest res existere verè & realiter per existentiam extrinsecam, ita nec durare, imò durare (si loquamur de verâ duratione, & non solùm de objectivâ, seu in representatione) supponit existentiam, & à fortiori hoc supponit coexistentiam, quæ est duorum in certo aliquo loco, vel tempore existentia, & conjunctio.

Confirmatur primò: quantumcumque fuerit ab æterno tota existentia, & duratio, seu æternitas Dei, illi nihilominus non fuit tunc conjuncta entitas creaturæ, utpote quæ ab æterno non fuit: unde tunc solùm conjungitur creatura æternitati Dei, quando producitur. Confirmatur secundò: licet Petrus existens Leodii sit verè præsens localiter toti immensitati Dei, non tamen propterea coexistit localiter Deo Romæ, esto non minus eadem tota immensitas Dei sit Romæ, quæ est Leodii, quàm æternitas tota, quæ est in hoc instante, fuerit ab æterno. Sicut ergo hic propter indivisibilem entitatem immensitatis Dei, & diffusam essentialiter per omne spatium, & entitatem Petri ei correspondentem in uno loco, requiritur ulterius ad hoc ut dicatur ei correspondere Romæ, vel ubique, ut habeat realem ubicationem propriam Romanam, aut realiter statuentem illum ubique ita ut Petrus hodie existens dicatur, fuisse heri, aut ab æterno, & semper præsens Deo, habere debet durationem propriam, per quam existit heri, aut ab æterno, & semper. Confirm. tertio: videtur siquidem implicatio in terminis, dicere aliquid realiter coexistere alteri, vel loco, vel tempore, nisi realiter utrumque existat.

Hinc infeto, simpliciter verum esse, res creatas tunc primò incipere esse præsentem æternitati Dei, quando primò existunt, dicique etiam posse respectu illius, præteritas & futuras. Æternitas tamen Dei, licet dici possit fuisse heri, & cras etiam duratura, non tamen rectè asseruerit quisquam, eam esse præteritam, aut futuram respectu ullius temporis, si propriè loquamur; cum præteritum sonet habuisse aliquando esse, & jam amplius non habere; futurum verò, jam non habere esse, sed postea habiturum: quæ luce clarius est æternitatis Dei non competere.

## SECTIO QUARTA.

## Objectiones pro reali præsentia rerum in æternitate.

OBJECTES primò: nunc, & ab æterno Deus est præsens Anti-Christo; ergo & Anti-Christus nunc, & ab æterno est præsens Deo: antecedens probatur; tota enim forma per quam Deus est præsens Anti-Christo, existit nunc, & existit ab æterno, nempe ipsa entitas Dei. Resp. negando antecedens: ad probationem dico, esse rem aliquam alteri præsentem, duo in conceptu suo involvere, intrinsecam scilicet entitatem rei

VII. Existere nunc quæm creaturam per æternitatem Dei.

VIII.

Sicut res, sens tota immensitati Dei non est nisi que, seu mensura, nec coexistit toti æternitati, est una.

IX.

Creaturæ dici possunt præteritas & futuras respectu æternitatis Dei, non dicitur.

I. Neque hic modus Dei, neque Deus huic mundo fuit præsens ab æterno.

rei illius, quæ est præsens, & entitatem alterius cui præsens redditur, estque denominatio partim intrinseca, partim extrinseca: idem quippe est esse alteri præsentem, atque eidem coexistere: coexistentia autem ut sæpe dixi, est duorum existentia. Quod respondere etiam debent adversarii de coexistentia seu presentia unius respectu alterius in ordine ad locum: & simili planè forma, ut supra ostendi, probaretur Petrum esse ubique.

II. *Diversa denominationes, tum respectu loci, tum temporis.*

Verum est quidem, aliquas denominationes nec respectu loci, nec temporis, requirere presentiam utriusque, seu conjunctionem in eodem loco, aut tempore, imò petunt contrarium, qualis est denominatio prioris, posterioris, absentis, distantis, &c. sed hæc nihil pro adversariis, sed contra eos faciunt potius: sicut enim denominatio absentis sive respectu loci, sive temporis, petit disjunctionem duorum, ita denominatio presentis, cum sit opposita, petit eorum conjunctionem.

III. *Dices, nisi res Deo coexistant ab aeterno, varia propositiones, quæ ad omnibus consensum vera, non erunt vera.*

Objicies secundò: Hinc sequi contra dicta superius, propositiones de futuro contingente non esse determinatè veras aut falsas: probatur sequela, veritas enim, cum, ut in Logica diximus Disp. 4.4. sect. 3. non sit sola propositio, sed etiam objectum, seu denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, propositio qua quis hodie exempli gratiâ, dicit, *Petrus cras peccabit*, non potest hodie esse vera, non enim existit hodie tota essentia veritatis, quæ secundum nos, partim consistit in objecto, quod tamen non existit: ergo propositio jam est solum inadæquatè, seu partialiter vera; ergo si res non erant ab aeterno, actus quo Deus judicabat Petrum tali instanti peccaturum, non erat ab aeterno determinatè verus.

IV. *Scientia Dei est adæquatè vera ab intrinseco.*

Sed contra primò: hæc enim objectio locum non habet in scientia Dei, quæ, secundum communioem sententiam, est adæquatè vera ab intrinseco, & essentialiter. Idem etiam affirmant multi de actibus fidei, & visionis beata: Unde hæc difficultas ad summum urget in actibus merè naturalibus incertis de illis objectis futuris, quæ ignoramus, vel quibus probabiliter tantum assentimur. Quoad hos ergo actus, quando dicimus propositionem de futuro contingente esse determinatè veram, non intendimus significare totam ejus veritatem tam formalem quam objectivam, in qua consistit ejus veritas, existere quando profertur propositio, sed solum esse tunc denominativè, quòd tunc existat veritas formalis seu entitas actus, quæ denominari potest jam vera, quia enunciat sicut objectum, non quidem jam est, sed cras erit.

V. *Quando propositio de futuro est vera.*

Et hoc argumentum æquè urget adversarios: inquiri enim, si jam non sit propositio illa vera, quando erit vera? Dicunt, cras quando existit objectum. Contra, quando cras existit objectum, non existit propositio; ergo tunc non potest esse vera: veritas enim supponit esse. Deinde, idem est in propositione de præterito, ut si quis jam dicat, *Adamus comedit pomum vetitum. Ante tot dies, menses, aut annos fuit eclipsis Solis, vel Lune, &c.*

Quid de veritate propositionis de præterito dicendum.

Sicut ergo in his, ut propositio nunc sit vera, non requiritur ab adversariis, ut veritas objectiva nunc existat, sed tantum formalis, & ut objectiva fuerit; ita è contra ut propositio de futuro sit nunc vera, solum requiri potest, ut veritas formalis seu propositio nunc existat, & objectiva sit suo tempore futura, eo scilicet tempore, pro quo affirmat propositio; hoc enim sufficit, ut actus enunciet sicuti res est, sitque conformis in representando objecto in essendo, & consequenter ut

sit, seu denominetur verus. Quare si quis hodie dicat, *Cras pluet*, quando homines cras vident pluere, dicunt illum heri dixisse verum; ergo omnes nunc judicant actum, quo heri id enunciat, tunc fuisse verum.

Quòd verò denominari aliquid nunc possit ab eo quod nunc non est, sed postea erit, patet in variis exemplis, ut in denominatione prioris; res enim denominatur prior aliâ, à re quæ jam non existit, sed postea existet. Unde sicut propositio, qua hodie dicit quis *Cras pluet*, nunc denominatur prior pluvia crastinâ ab ipsamet pluvia cras futura, ita & nunc ab eadem denominari potest vera.

VI. *Denominari aliquid nunc potest ab eo quod nunc non est.*

Ad pleniorè verò horum omnium notitiam, advertendum, veritatem duplicem esse, formalem & causalem, seu radicalem. Formalis, de quâ hic loquimur, ut plurimum sita est in denominatione extrinseca ab objecto, saltem in actibus creatis, & naturalibus, præsertim de futuris contingentibus: multi enim affirmant quando propositio est de objecto necessario, esse eam per se intrinsecè adæquatè veram; ut in his & similibus propositionibus contingere aiunt, *Homo est rationalis, Leo est rugibilis, &c.* Et sanè quoad multas propositiones, certum videtur, ut cum actus inadæquatè saltem reflectit supra se, de quo dixi Disputatione 19. de Anima, sectione tertiâ, tum enim est quoad hoc verus ab intrinseco; nihil siquidem est magis intrinsecum quàm idem sibi: utrum autem dari possit actus in creatis totaliter reflectens supra se, & consequenter adæquatè hoc sensu verus ab intrinseco, non satis convenit inter Philosophos, & nostrâ in præsentem nil refert. In divinis quidem actus quo Deus cognoscit se, & suas perfectiones intrinsecas, est hoc modo verus ab intrinseco, licet si sumatur actus Dei in totâ latitudine, non sit hæc ratione adæquatè reflexivus supra se, cum idem realiter actus qui representat Deum, representet etiam creaturas possibles, imò & impossibiles, adæque omnia.

VII. *Veritas formalis, & causalis.*

Quoad propositiones sunt per se adæquatè intrinsecè vera.

Causalis, seu radicalis veritas in actu nihil est aliud, quàm vis quedam actui indita ad ponendum id quod significat, & efficiendi se pro aliquo posteriori verum formaliter, ab existentia extrinsecâ objecti. Hæc veritas fere non cadit nisi in propositiones de præsentem, nam quoad propositiones de præterito, certum est, non posse eas habere hanc vim; nec enim actus hodie existens, & affirmans Solem heri luxisse, potest hesternam Solis lucem efficere, utpote quæ jam perit. Nec etiam efficere potest propositio objectum futurum, seu postquam actus desit, nisi ad summum moraliter.

VIII. *Causalis, seu radicalis veritas quid sit.*

Solis ergo propositionibus de præsentem propriè competere potest veritas causalis, ut si miraculosè indita sit vis alicui propositioni efficiendi suum objectum. Sic Deo dante, in Tractatu de Eucharistiâ ostendam, hanc propositionem, *Hoc est Corpus Christi meum*, quæ est forma, quâ hoc Sacramentum perficitur, non operari ut veram, sed solum ut significativam, & efficere se pro aliquo posteriori signo veram, efficiendo scilicet corpus Christi sub speciebus panis. Idem esset, si Deus per potentiam absolutam, actum intellectus alicujus hominis, vel Angelj, quo diceret *pluit*, elevare vellet ad producendam pluviam, quoties id assereret; tunc enim propositio illa mentalis in primo signo, seu in quantum est affirmatio pluviae, esset vera causaliter seu radicaliter, & in actu primò; in secundo autem signo, ubi jam pluviam produxit, esset vera formaliter, & in actu secundo.

IX. *Natura veritatis causalis magis in partem veri declaratur.*

X. Dicitur, Aternitas Dei actu correspondet omni tempori.

Objicies tertio: Aternitas Dei actu completur præterita, præsentia, & futura; est quippe duratio Dei actu infinita: ergo non minus correspondere debet omni tempori, quam immensitas omni loco; neque hoc habere debet successivè, ita scilicet, ut hodie correspondeat & coexistat huic diei, cras sequenti, & sic deinceps; hoc enim modo non erit duratio actu infinita, seu actu durans infinitè, sed paulatim in duratione crecet, quod dici non potest: ergo actu correspondet, & coexistit omni tempori.

XI. Aternitas dicitur modum à Theologis solent.

Ad solutionem notandum, Aternitatem sumi dupliciter; vel pro infinito quodam spatio temporis imaginarii, tam à parte antè, quam à parte post, & in hoc tempore imaginario sunt omnia quæ durant, non minus quam res omnes quæ existunt, sunt in spatio imaginario loci. Secundò, & magis propriè sumitur aternitas à Theologis, ut à S. Thoma hic, quæst. 10. art. 1. ex Boëtio, lib. 3. de Consolatione, prosâ 2. quòd sit *Interminabilis vite beata tota simul & perfecta possessio*. Hæc, inquam, est aternitas propriè sumpta, seu ipsa inæcreata Dei aternitas, quæ indivisibilis est, & tota simul, ipsa nempe substantia Dei, qui, quidquid est, simul est ac semper. Hæc itaque aternitas essentialiter est determinata ad coexistendum omni tempori, seu aternitati illi extrinsecæ, infinitati temporis imaginarii, tam à parte antè, quam à parte post.

XII. Quo pacto Aternitas Dei, omnia in se tempora completatur.

Per hæc, facilis est responsio ad argumentum: dico itaque, aternitatem Dei continere omnia tempora, non actu & formaliter eis jam coexistendo, sed virtualiter, quatenus videlicet ex sua natura essentialiter est determinata ad iis, prout successivè fluunt, coexistendum. Sicut enim in hoc sita est natura Immensitatis, non ut in omnibus locis omni spatio locali coexistat, sed ut essentialiter sit determinata ad coexistendum omni spatio, non similitate spatii, sed sui; ita & Aternitas similitate sui determinata est ad correspondendum omni tempori, non similitate temporis.

Dicitur nequit Deus plus hodie durasse, quam heri.

Licet autem Deus heri non coexistit hodierno diei, non tamen dici potest hodie plus durasse, quia duratio Dei sita est in intrinsecâ illa determinatione ad coexistendum omni tempori, quæ eadem est heri, & hodie, & ab aeterno: sicut baculus fixus ad ripam, vel in medio præterlabentis fluminis; vel, ut magis appositè fortè Molina, ut centrum in medio circuli, circa illud successivè, & per partes ducti.

XIII. Non afferunt Patres, Deo omnia ab aeterno esse præsentia.

Ad auctoritatem Patrum dico, eos non tam affirmare, omnia Deo esse præsentia, quam nihil ei esse præteritum, aut futurum: cujus rationem reddunt aliqui, quòd præteritum & futurum dicant successivè in esse, inter ea quæ sibi sunt præterita, & futura, ita ut unum esse incipiat post aliud, & fuerit antequam aliud inciperet, quæ in Deo respectu creaturarum, & è contrâ inveniri non possunt. Secundò dici potest, eos, quando asserunt, nihil Deo esse præteritum & futurum, de intrinsecâ Dei duratione esse locutos. Tertio: de præsentia objectiva: quæ responsio magnum habet fundamentum in S. Augustino, & S. Anselmo, dicentibus Deum habere electos apud semetipsum, non in sua natura, sed in præsentia: quòd etiam ex S. Gregorio & Boëtio ostendit Suarez hoc Opusc. lib. 1. cap. 7. num. 18.

XIV. Quo sensu Patres Deo negare videntur præscientiam, & tantum ei concedere scientiam.

Quando verò Sancti Patres negare Deo videntur præscientiam, & solum concedere scientiam, seu notitiam rerum præsentium, non futurorum; vel volunt non esse in eo præscientiam, qualis est nostra de futuris, nempe conjecturalem, sed certam,

sicut nos habemus de præsentibus, & de iis quæ oculis intuemur, licet infinites nostrâ perfectiorem & certiorum. Vel intelligi possunt, non esse in Deo præscientiam, seu scientiam, quæ ita sit ante existentiam rerum futurarum, ut prius desinat quam illæ existant, & consequenter non sit illis præsens, ut in cognitione nostrâ frequenter contingit. Tandem, dici potest, velle fortassis Patres, esse æquivalenter res omnes præsentibus Deo ab aeterno: perinde quippe est quoad certitudinem & claritatem cognitionis Divinæ de ipsis, ac si etiam ab aeterno omnes extitissent: quæ solutio in re fortè coincidit cum primâ. Quod verò non negaverint Patres Deo præscientiam in omni rigore, quòd particula prædenotet antecedentiam realem scientiæ ad rem scitam, quasi hæc antecedentiam respectu creaturarum Deo nolint concedere, videtur certum, cum concedant ei Prædestinationem, quæ tamen non minus dicit antecedentiam quam præsentiam. Videatur Suarez hoc Opusc. cap. 7. & Arrubal d. 41. ubi fusè & optimè testimonia Patrum declarant.

Res omni Deo sunt æquivalenter præsentibus ab aeterno.

Ad id tandem quod objici posset in propositione hac, *Antichristus nunc coexistit Deo*, aut è contrâ, posse illud nunc significare solum instans seu nunc Aternitatis: dico, non ita se rem habere; nam prout à nobis hæc propositiones concipiuntur, significant coexistentiam duarum rerum in tempore extrinsecò: sicut nec dicere possumus, *Leodium hic coexistit Rome*, quia nimirum in eodem spatio locali non conjunguntur; sed nec Antichristus conjungitur in eodem spatio temporis Deo; ergo. Imò, licet Deus possit dicere, *Londinum mihi correspondet, seu coexistit hic*, designando scilicet spatium Londinense, non tamen *Antichristus nunc mihi coexistit*, quia verè ei nunc non coexistit, imò ne quidem existit.

XV. Quem sensum facit hæc propositio: Antichristus nunc coexistit Deo.

SECTIO QUINTA.

Utrum Deus cognoscat futura contingentia in suis Ideis, aut in decreto, vel supercomprehensione causæ creatæ liberæ.

Quoad primum, Bannez hic, a. 13. Cajet. ibidem, Alvarez Disp. 14. Molina hic, d. 15. Granada 1. p. tract. 4. de Scientia Dei, disp. 4. sect. 3. num. 16. & alii affirmant, Deum futura contingentia in suis Ideis cognoscere. Sed contrâ: Ideæ enim nihil aliud sunt, quam ipsa Dei essentia, vel scientia: cum ergo hæc nullam cum rebus contingentibus habeant connexionem, videri in iis nullo modo possunt. Quòd si quis Scientiam Dei liberam vocare velit Ideam, in hac, fateor, videri poterunt futura contingentia; sed illa prius terminatur ad futura in seipsis, non quidem ex eorum causa, (scientia enim visionis, ut supra diximus, non est causa rerum) sed in quantum jam futura sunt, immediatè cognoscit. Sine autem scientia libera vocanda Ideæ, dicitur Disp. vigesima quintâ.

I. Futura contingentia Dei in suis Ideis cognoscere affirmant multi.

Contraria itaque sententia omnino est tenenda; Deum scilicet in suis Ideis futura contingentia non cognoscere: Ita Suarez Opusc. de futuris conting. lib. 1. cap. 4. Vasquez hic, disp. 65. cap. 1. Tannerus 1. p. disp. 2. q. 6. dub. 7. num. 1. Idem docet Scotus in 1. d. 39. §. *Contra rationes*, quem sequuntur Scotista. Est etiam sententia Nominalium, Ockami, Gregorii, Gabrielis in 1. d. 38. & aliorum.

II. Probabilius est Deum futura contingentia in suis Ideis non cognoscere.

Ratio,

III. Ratio præter dicta, est: Ideæ enim Divinæ sunt de rebus possibilibus, sicque necessariæ; unde etiam antecedunt omne decretum Dei liberum: ergo in iis videri nequeunt futura contingentia; hæc enim semper supponunt decretum liberum, utpote sine quo non essent omnino futura. Si autem dicat quispiam, Ideas Divinas includere decretum liberum, aliò transfert questionem; perinde enim tunc erit querere, utrum futura contingentia videri possint in Ideis, ac querere utrum videri possint in decreto: de quo jam dicitur.

IV. Quoad secundum itaque, possint Deus cognoscere futura contingentia in decreto suæ voluntatis, rejiciendum est imprimis immane illud hæreticorum pronuntiatum, Deum scilicet peccata hominum ideò ab æterno præscripsisse, quia decreto suo ordinavit ut fierent. Addunt ulterius, adulterium Davidis, prædictionem Iudæ, & reliqua mortalium peccata, supra quidem naturâ esse libera, & contingentia; sed si quis causam supremam, seu Deum spectet, qui hæc omnia, ut aiunt ipsi, non certò tantum prævidet, sed etiam homines ad ea destinavit, nec à Davide, inquit, nec Iudâ, aliter fieri poterat.

V. His itaque rejectis, ex Catholicis non pauci affirmant, Deum in decreto efficaci suæ voluntatis, futura contingentia cognoscere: negant tamen Deum in ullo decreto præfinitivo peccata futura præscribere: privatio enim, inquit, in quo situm est formale peccati, non necessariò & infallibiliter positivo peccati annexitur: unde quantumcunque Deus actum aliquem positivum vellet, non tamen propterea vellet hanc negationem, sicque nec in hoc decreto cognosci negatio illa posset, & consequenter cognosci in eo nequit peccatum: ita Bannez 1. part. quest. 14. art. 13. Alvarez d. 10. & alii, qui effectus omnes contingentes à Deo prædefiniri, ac prædeterminari affirmant.

VI. Prima Conclusio: Decretum Dei universali concursu cum causis liberis ad suos actus concurrendi, non est medium sufficiens, per quod, seu in quo Deus cognoscat actum liberum futurum: ita Suarez Opus. de fut. conting. c. 6. Vasquez d. 65. n. 10. Ericc d. 6. c. 3. Tannerus hic, q. 8. dub. 7. Alarcon tract. 2. disp. 2. c. 6. & recentiores communiter. Ratio est: hoc namque decretum constituit causam completam liberam, sicque esse debet æquè ad utramque partem contradictionis indifferens, ac causa creata libera: ergo non magis videri in eo potest effectus, quam in causâ creatâ.

VII. Secunda Conclusio: Si dentur in Deo decreta definitiva infallibiliter, viâ intentionis inferentia actus liberos, salvâ eorum libertate, potest Deus in hujusmodi decretis cognoscere actus futuros contingenter: cum enim voluntas illa, ut suppono, sit efficax, infert effectum; quicquid namque Deus efficaciter vult, erit infallibiliter; quare de Deo dicitur, Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit. Unde S. Hilarius lib. 9. de Trinit. Quæ Deus, inquit, facere decrevit, in suâ voluntate cognovit. Sed hoc medium non est universale, cum præfinitio ad res omnes de facto non extendatur, imò ad aliquas extendi nequeat, actus enim pravi prædefiniti non possunt, sed solum permittuntur.

VIII. Hinc infero primò, res illas, quæ à solâ Dei voluntate pendent, ut sunt Angeli, cateraque in primo mundi exordio, à solo Deo creata, posse in decreto Divinæ voluntatis certò cognosci: cum his enim infallibilem volitio Dei habet connexionem. Sicut ergo Deus intuens suam Omnipotentiam, in eâ cognoscit harum rerum possibilitatem, R. P. Compton Theol. Scholast. Tom. I.

ita intuens decretum illas condendi, non minus certò cognoscat earum existentiam. Idem est de effectibus miraculosis, quos Deus immediatè per se, vel res aliquas elevando, ut aquam, oleum, aut verba ad gratiam in Sacramentis producendam, efficit.

IX. Infero secundò, Auctores numero quinto citatos, non satis meo iudicio effugere, quod maxime vitare cupiunt, Deum scilicet in suo decreto non videre peccatum: contra enim illos facit, siquidem si Deus efficaciter, ut affirmant ipsi, moveat hominis cuiuspiam voluntatem ad totam entitatem positivam actus peccaminosi, putà adulterii, aut odii Dei, implicare videtur contradictionem, ut Deus totam hanc entitatem videat, & tamen non inde cognoscat peccatum illud, seu privationem; cum omnino certissimè & infallibiliter ad positivum istud sequatur: unde fide certum est, actum illum liberè ac deliberatè elicatum, esse pravum, & peccatum, nec per Divinam potentiam potest non sequi privatio illa, & actus non esse malus. Cum ergo hoc nos certò sciamus, quis putet posse latere Deum?

X. Unde ulterius, cum malitia, seu privatio illa ad positivum peccati omnimodâ necessitate consequatur, superfluum planè in Deo foret aliud decretum, quod ipsi ponunt, malitiæ permissivum; ad quid enim novum decretum illius permissivum, quod impediri nullâ potentiâ potest? Sicut creato leone, supervacaneum in Deo foret decretum, ut in eo emergat negatio equi, aut formicæ?

XI. Infero tertio, in sententiâ non statuente actum Dei liberum adæquatè intrinsecum, sed asserente decretum omne Divinum constitui partialiter per effectum secundum, & connotationem extrinsecam objecti, non posse in actu præfinitivo cognosci effectum illum futurum, cum nihil in hac sententiâ antecedit, vel formaliter vel virtualiter magis connexionem cum effectu, quàm cum negatione effectus; essentia quippe Divina, quæ sola antecedit, est ad omnia indifferens. Videbitur quidem in hac sententiâ effectus, at non ex vi decreti, sed in semetipso, & ut pars decreti illius constitutiva, cum secundum hunc modum procedendi, decretum Dei de re aliquâ producendâ, sit complexum ex entitate seu essentiâ Divinâ, & effectu illo à parte rei ponendo.

XII. Tandem infero, cum in nullo Dei decreto videri possint peccata (utpote ad quæ, salvâ Dei bonitate, nullum dari decretum potest) sed videantur à Deo immediatè in semetipsis; infero, inquam, res etiam alias immediatè in seipsis à Deo videri posse: de quo plura postea, Sect. septimâ.

SECTIO SEXTA.

Vtrum in supercomprehensione liberi arbitrii cognosci possit effectus liberè futurus, aut etiam in causis, adjunctâ scientiâ mediâ.

VT res hæc clariùs intelligatur, notandum, quid supercomprehensionis nomine à Theologis intelligatur. Primò itaque, supercomprehensionem aiunt nonnulli esse cognitionem illam, quâ discernuntur ea, quæ ex vi causæ, putà, voluntatis creatæ visæ, internosci possunt, eò quòd naturalem & necessariam cum iis habeat connexionem, quales sunt actus illius possibiles.

IX. Si Deus possit statim promovere hominem ad actum pravum, videtur in illo decreto peccatum.

X. Decretum aliud peccati permisivum, esse superfluum.

XI. Ut effectus cognoscatur in decreto, actus liberi Dei esse debet adæquate intrinsecus.

XII. Sicut peccata, ita & res aliæ videntur à Deo possunt in seipsis.



II. *Supercomprehensio propriissima actû.*

Alio modo sumitur interdum supercomprehensio, non pro eâ tantum cognitione circa voluntatem creatam, exempli gratiâ, qua termini illius necessarii cognoscuntur, actus nempe ejus possibilis, ad quos dicitur ordinem transcendentem, sicque necessariam pro eo statu & essentialem cum iis habet connexionem, quosque, causam penetranti, vi suâ ostendit, sed pro altissima illâ & eminentissima scientiâ voluntatis, qua Deus omnia ad ipsam quoquo modo pertinentia plenè dignoscit, sive necessariam cum eâ habeant connexionem, sicque ex vi illius visâ videri possint, sive non, quales sunt affectiones omnes, quibus voluntas hîc & nunc intussecè mutatur sicut ad perfectissimam cognitionem solis, aut aqua requiritur, ut quis sciat, non tantum illum petere lucem, hanc frigus, sed utrum de facto illa habeant. Eodem ergo modo, actuum voluntatis cognitio ad plenam illius notitiam est necessaria.

*Quid ad hâc supercomprehensionem requiratur.*

III. *In supercomprehensione vulgariter sumpta, actû liberi non cognoscuntur.*

Hinc facilis est quaestionis resolutio; si enim primo modo sumatur supercomprehensio, prout nimirum est cognitio eorum tantum, quæ naturalem ac necessariam cum voluntate habent connexionem, quæque illa, intuitu ipsam vi suâ ostendit, certum est actus seu effectus futuros liberos in supercomprehensione voluntatis creatæ non cognosci, utpote qui liberrimè ab eâ fluunt, & nullâ necessitate cum illâ connectuntur.

IV. *Supercomprehensione perfectâ cognoscitur effectus futuri liberi, in causâ quâvis non ex causa.*

Si verò supercomprehensio accipiatur secundo modo, pro cognitione scilicet omnium, quæ in causâ reperiuntur, licet ex vi causæ non cognoscantur, non est dubium quin hoc sensu per supercomprehensionem sciat Deus actus omnes liberos futuros voluntatis creatæ, cum nihil eum circumvallat rem latere possit; hoc enim exigit perfectissima providentia summi moderatoris: sine hac enim scientiâ, ritè de creaturâ suâ disponere non posset. Actus tamen hos, & effectus contingentes futuros non cognoscit Deus ex vi voluntatis visæ, sed ex eminentia suæ scientiæ: voluntas siquidem antecederet nihil habet infallibiliter connexum cum futuritione, magis quam cum non futuritione actuum liberorum, sed est planè indifferens ad utramque partem contradictionis, ut supra dictum est.

V. *Dissensio hic inter Auctores est tantum de modo loquendi circa cognitionem actuum liberorum in supercomprehensione.*

Hinc infertur, dissensionem hac in parte, inter Auctores, esse de modo loquendi, potius quam de re: Molina enim hîc, Disp. 15. & in Concordia, Disp. 49. & 50. quem sequitur Becanus c. 10. q. 7. hî, inquam, dum aiunt actus liberè, seu contingenter futuros cognosci à Deo in supercomprehensione liberi arbitrii creati, id solum volunt quod numero præcedenti diximus, sciri scilicet illos concomitanter, ac disparatè, & ex supereminente perfectione divinæ scientiæ, non ex vi voluntatis creatæ visæ, ut expressè docent Molina & Becanus citati; hæc enim, ut dixi, nullam antecederet habet connexionem cum actu libero futuro magis quam cum illius negatione. E contrario verò, hoc tantum sensu negat Erice hîc d. 6. num. 29. Arrubal, Suarez, & alii, Deum effectus seu actus futuros contingentes cognoscere in supercomprehensione liberi arbitrii, quasi ex vi causæ: non enim negant Deum hos actus cognoscere, sed solum non cognoscere ex vi voluntatis creatæ, quasi in ea sit aliquid antecedens, ad eorum futuritionem determinans magis, quam ad non futuritionem.

VI. *In causis completis, ad scientiâ conditionatâ.*

Ad secundum quod attinet: etsi plurimos id negantes videam, pars tamen affirmativa multo mihi semper visâ est probabilior, nempe in causâ libera creatâ completa, non nudè sumpta, sed ad-

junctâ scientia conditionata, effectum liberum certissimè posse cognosci: si enim Deus habeat hunc actum scientiæ conditionatæ, si detur Petro tale auxilium, seu inspiratio, convertetur, ipso facto quod detur illa gratia, & conditio purificetur, certissimè secutura est ejusdem conversio, ergo ex vi positionis gratiæ in his circumstantiis, evidenter inferri potest consensus Petri. Sicut si Deus mihi revelet, si Ioannes ad te cras tali horâ accesserit, loquetur de stellis, peter à te librum, &c. eo ipso quod Joannem dictâ horâ accedentem videam, certissimè scio locuturum esse de stellis, petiturum librum &c. non ex revelatione præcisè, cum hæc sit tantum conditionata, sed ex eâ, & purificatione conditionis, Joannis scilicet adventu.

*natâ, cognosci certè potest effectus liberi futuri.*

*Res hac exemplo claratur.*

Confirmatur: potest effectus cognitio conditionatè in causâ conditionatâ; ergo absolute in causâ completâ absolutâ: cum ergo hæc sit veritas cognoscibilis, potest, imò debet à Deo certè & infallibiliter cognosci. Hanc itaque sententiam tenet Suarez Opusc. de fut. Contingentibus absolutis, cap. 6. num. 14. & 15. & Granada hîc, tract. 4. Disp. 4. sect. 2. num. 11. & alii.

VII. *Vi in causâ conditionatâ, conditionatâ, ita in absolutâ, absolute cognosci potest effectus.*

SECTIO SEPTIMA.

*Vtrum futura contingentia cognoscantur à Deo in seipsis. Vbi quedam ulterius adjiciuntur de cognitione eorum in decreto.*

CONCLUSIO. Futura contingentia cognoscuntur à Deo in seipsis, seu ex eo præcisè, quod sint suo tempore futura, nec ad ea scienda ullo indiget medio. Ita Suarez in hoc Opusculo, cap. 8. Vasquez, d. 65. & 66. Valentia & Herice citati, Tannerus i. p. Disp. 2. q. 8. dub. 7. num. 9. Hurt. d. 6. de Anima, sect. 6. Arriaga hîc, d. 20. sect. 4. num. 34. & nostri communiter contra Thomistas, quibus ex parte consentire videtur Molina hîc, cap. 7.

I. *Futura contingentia à Deo cognoscuntur in seipsis.*

Ratio Conclusionis est primò, quia objectum futurum potest terminare actum aliquem circa se versantem, cum de facto terminet actus nostros obscuros, qui propterea obscuri sunt quod vis nostra intellectuâ, respectu illorum objectorum, debilis sit & imperfecta; ergo ubi est vis intelligendi perfecta, qualis est divina, terminare poterunt actum clarum, præsertim cum intellectus divinus sit perfectissima species representativa omnium rerum, ut sæpè asserit S. Thomas. Ipso facto itaque quod res sit futura, cognosci potest ut futura, maxinè ab intellectu infinite perfecto, cum possit eo modo cognosci, quo est.

II. *Hæc futura terminant in nobis actum obscurum: ergo in Deo clarum.*

Dicit aliquis, hinc sequi, non posse cognosci hæc futura in se immediate, sed in aliquo decreto divino, cum, ut dixi, cognosci debeant à Deo eo modo quo sunt, sed sunt futura dependentia à decreto aliquo Dei, ergo & dependenter ab illo decreto debent cognosci. Resp. aliud esse, cognosci rem dependenter ab alio, aliud cognosci in illo alio tanquam in medio cognito, seu non immediate in se: dicimus itaque, nullam rem futuram cognosci independenter ab aliquo decreto Dei posse, cum sine illo esse nequeat; non tamen propterea sequitur non cognosci rem in se immediate, sed in illo; præsertim cum multa sint quæ in decreto Dei cognosci omnino non possint, ut statim dicemus. Sic Angelus videre potest intuitive ignem, vel calorem existèntem

III. *Aliud est, cognosci aliud dependenter ab alio, aliud cognosci in illo ut in medio cognito.*



existentem, absque eo quod videat usam illorum causam, licet sine aliqua causa existere nullatenus possint, & consequenter nec sine ea ut existentes cognosci.

IV. *Multa sunt, quae cognosci alio modo nequeunt, quam in seipsis.*  
 Secundo probatur Conclusio: multa enim sunt quae aliter quam in seipsis cognosci nequeunt, ut peccata; nec enim, ut dixi, cognoscuntur in causa creatâ completâ, cum illa non magis determinata sit ad esse eorum, quam non esse, ut ostensum est supra; nec etiam sciri possunt in decreto, ut sect. quinta declaratum est: cum itaque certum sit, Deum hæc cognoscere, scire ea debet in seipsis, seu ex eo præcisè quod futura sint: quod à fortiori de iis dicendum peccatis videtur, quæ consistunt in purâ omissione.

V. *Deus ad hæc futura percipienda, non eget medio cognito, sed incognito.*  
 Ad hæc ergo & alia omnia cognoscenda, non eget Deus medio aliquo cognito, sed incognito, quale hic est ipsa Dei essentia, quam supra diximus esse speciem omnium repræsentativam. Quod verò hæc objecta non habeant actu aliquam existentiam, & consequenter veritatem, non refert; sufficit enim quod aliquando existent, sicut ut cognoscantur præterita, non requiritur ut jam habeant vel existentiam vel cognoscibilitatem intrinsecam, sed tantum extrinsecam, à potentia scilicet ea cognoscente, vel quæ apta est ea cognoscere. Quod fortius urget in purè possibilibus, & multò magis in impossibilibus. Huiusmodi ergo licet esse nequeant objecta motiva, seu physice influentia, possunt nihilominus esse terminativa, quod minus difficile est respectu scientiæ divinæ, respectu cuius, ne quidem creaturæ existentes esse possunt objectum motivum, ut est manifestum, sed tantum terminativum.

VI. *Hinc non sequitur, vi-*  
 Dices, quisquis videt actum liberum futurum, necessariò eum videt futurum ab aliqua causâ, seu ab eâ emanaturum: imò cum videat actionem quæ

essentiali hebet connexionem cum tali causâ in particulari, necessariò etiam videt causam illam determinatè; unde tandem conficitur, effectum videri in causâ liberâ. Omittis aliis, negatur ultima consequentia: licet enim antecedentia vera sint, saltem de scientia Dei (ab intellectu enim creato videri potest actio sine termino & agente, sicut unio in communi sententia sine extremis) cum sit comprehensiva, & consequenter non actum solum liberum videre debet, sed à qua etiam causâ procedat; cognoscit enim perfectè actionem, ac proinde, quod idem est, determinationem talis causæ futuram, quod perfectè videre non potest nisi simul videndo ipsam causam. Hoc tamen non est cognoscere effectum liberum in causa, sed causam potius in effectu, cum pro aliquo priori rationis terminetur scientia ad effectum, quam ad causam: nec enim verum est dicere, Deum cognoscere effectum quia cognoscit causam, & per hanc determinari ad cognitionem effectus; sed è contrâ quia videt effectum, videt causam. Unde determinativum hæc est effectus, non causa.

*deus effectum in causa, sed causam potius in effectu.*

*In hoc casu, pro aliquo priori terminatur scientia Dei ad effectum quia ad causam.*

Urgebis: effectus etiam liber continetur in causa, ergo Deus videns virtutem causæ, videt in ea contineri effectum: ergo cognoscere potest actum liberum in causa. Distinguo primum antecedens: effectus liber continetur in causa ita ut etiam illius omisso in eadem causa æqualiter contineatur, cum debeat esse causa libera; concedo antecedens: continetur determinatè, seu magis effectus quam illius contradictorium; nego: unde etiam distinguo consequens; Deus videns virtutem causæ, videt in eâ contineri effectum quoad possibilitatem, concedo consequentiam; videt contineri quoad actuale exercitium, seu videt secuturum de facto effectum, nego, & eodem modo ultimum consequens est distinguentium.

VII. *Quo sensu actus liber futurus continetur in causa.*

## DISPUTATIO XXIV.

An, & quomodo Deus cognoscat futura conditionata.

**O**STENDIMVS Diss. præcedente, Deum cognoscere contingentia absolute futura. Controversia modo restat haud paulò difficilior de scientiâ quam habet Deus de futuris contingentibus, non absolute, sed sub conditione, futuris: quâ nulla magis celebris hodie in Scholis quæstio, majorèque contentione disputata, astruentibus eam alius, aliis negantibus, summòque conatum auctoritatis, tum rationum momentis, & suam stabilire, & contrariam refellere sententiam laborantibus.

### SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam circa scientiam conditionatam; & sententiæ proponuntur.

I. *Ex objectis conditionatis, alia sunt necessaria, alia libera.*

**N**OTANDUM primò: Objecta conditionata, alia esse necessaria, utpote quæ naturalem seu necessariam habent cum causâ connexionem, ut sunt lux cum sole, calor cum igne si existant sol & ignis; alia libera, quæ scilicet, etiam

positâ causâ, non necessariò ad illam sequuntur, sed ita ut possint non sequi, eujusmodi sunt actus liberi voluntatis: & de his procedit præfens quæstio.

Notandum secundò: ex objectis conditionatis alia esse purè conditionata: ea scilicet quæ nunquam habebunt existentiam absolutam: Deus exempli gratiâ, videt multa auxilia, quæ si darentur hominibus, hi per illa varios actus elicerent, quos tamen de facto nunquam elicient, quia auxilia illa nunquam habebunt.

Notandum tertio: tria concipi posse cum fundamento instantia, seu signa rationis in objectis: primum,

II. *Quarum objecta sunt purè conditionata.*

III.